

DISSSERTATIO ACADEMICA,  
*DE*  
**HYPOTHESESIBUS  
MATHEMATICIS,**

earum necessitatem

contra Objectiones

Sexti Empirici, Henrici Cornelii Agrippæ,  
Petri Rami, aliorumque  
ostendens.

*Quam*

AUXILIANTE DIVINI NUMINIS GRATIA,  
imperatō consensu

**AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM  
ORDINIS**

IN ILLUSTRI SALANA

*Publico Eruditorum Examini submitteret*

PRÆSES

**M. MICHAEL HOYNOVIVS,**

Milcâ Prusfus.

RESPONDENTE

**SAMUEL Gusemühl/**

Meklenburgensi.

Ad d. Febr. Anni d<sup>o</sup> bc LXXXIV.

---

Jenæ, Typis Joh. Jacobi Bauhoferi.

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, atq; CON-  
SULTISSIMO DOMINO,  
**DN. HENRICO BURGSEH/**  
FLORENTISSLIMÆ REIPUBLICÆ IN PALÆOPOLI REGIOMONTANA  
SENATORI GRAVISSIMO,  
EJUSDEMQUE CAMERARIO OPTIME MERITO,  
**VIRO** Eruditionis, ac Virtutis laude maximè conspicuo,  
Rerumque Mathematicarum raro inter Politicos exemplō  
peritisimo,  
PATRONO, EVERGETÆ, AC HOSPITI MEO  
omni honore prosequendo.

**P**Ermitte *VIR NOBILISSIME* Nomen Tuum Amplissimum his præfigi pagellis, ut si dignitate suâ exiles appareant, ex Te sibi pretium aliquod fænerentur. Eâ quippe *Virtus Clarorum Virorum* pollet vi, ut non tantum sibi luceat, verum & aliorum conatus illustret. Æquitas ipsa, ejusque comes Pietas officii istius necessitatem imponit. Si certum est, quod *Romanus Sapiens* quondam credidit. \* Virum bonum tanquam Phœnicem semel quingentesimō nasci anno, magnâ observantiâ mihi opus esse judico, qui Te non uno documento bonum expertus sum, benevolum, ac beneficium. Singula hæc tanta esse, ut publicum mereantur (merentur autem maximum) grati animi symbolum, & quis rerum Censor fatebitur. Hoc ipsum Pietas magis, quam aliunde adscitus splendor commendat. Olim deficiente thure, salsa molâ litare concessum erat. \* Quidni sacrificii, vel debiti loco chartaceamunera offerant Musarum filii? Accipe ergo *VIR AMPLISSIME* meas has ex superiore Cathedrâ primitias, illasque non tam ad mensuram Tuorum meritorum, vel ad argumenti, de quô ago dignitatem exige, quam ad Occasionis præsentis indulgentiam revoca. Huic sive postulato, sive hypothesi (licet jam Mathematicè ad Mathematicum loqui) si eâ quâ soles humanitate assurges, rebusque meis favere perges, quantus sis & Literatorum Patronus, & Literatus ipse axiomate novâ demonstrabis. Vive porrò Divinâ adjutus gratiâ, floreque diutissimè, & per Generi, filiorum, nec non familiae universæ felicitatem splendorem Tuum ad seros Nepotes transfunde.

\* Senec. Ep. XLII.

*V. NOBILISS. AMPLITUDINIS*

\* Plin. L. XVIII. Hist. N. c. 2.

*Observantisimus,*

M. MICHAEL HOYNOVIIUS.



# I. N. f.

## §. I.

**H**umana cognitio quemadmodum propter finem aliquem suscipitur, ita subsidiis certis quibus eum consequatur, opus habet. Cum namque ea quae dissita sunt illis, per quae conjungi possint indigeant; hinc & facultas cognoscitiva objectum suum per media adæquata apprehendit. Neque enim fieri potest, ut rebus immediatè uniatur intellectus, incorporeus corporeis, immortalis caducis. Adde, quod multa quorum cognitio desideratur dubia sint, remota, & obscura. Habet ergo intellectus suas juxta Platonem *alas*, vel *gradus* secundum Epictetum, quorum ope non pauca difficulter pervia feliciter investigat. Ipse sensus licet vicinior sit rebus, ac magis familiaris, non sine nullò eas cognoscit mediò. Sic auditus aëre, visus luce promovetur. Atque tum etiam accidentia sibi tantum nota reddit, ipsas verò essentias rerum sequi directè non valet. Quô inter alia cognitio humana à divinâ distinguitur. Hæc quippè cum perfectissima sit, nullius est indiga, sibi sufficiens, & externæ opis inscia. Hoc etiam ex Ethnicâ Theologiâ innuit Aristot. L. II. de cœlō c. XII. t. 64. his verbis. Πολλὰ πεάτη (ἄνθεωπος) ηγάλλων ἐνεκα. Τῷ δ' ὡς ἀριστα ἔχοντι δὲν δεῖ περίξεως. Εἰ τὸ δὲν αὐτὸ τὸ γένεντα. Homo multa agit, & aliorum gratiâ. Et verò quod quam optimè se habet (i. e. Deo) non opus est actione. Est enim hoc, cuius gratiâ cetera agunt. Jamblichus L. de Mysteriis Ægyptiorum p. m. 12. interprete Marsil. Ficino ita scribit. Dii vigore celerimò fines intimos unâ cum principiis comprehendunt, animæ ab aliis in alia, ab imperfecto ad perfectum pergunt. Eleganter quoque Maximus Tyrius Dissert. I. intellectum divinum comparat cum obtutu Solis, quô totam terram perlustrat, humanum cum motu Solis, quô alium, atque alium locum occupat. Est enim ex eorum intelligentium genere, tertio scilicet, quæ discursu unum per aliud, causas ex effectis, & effecta ex causis cognoscunt, cum primus intelligentium ordo res sim-

A

plici

plici intuitu apprehendat, secundus in ipsâ cognitione principii omnes conclusiones consequentes percipiat; sicut in speculô simul inspicitur imago rei, & res ipsa. Vid. Thom. Aquin. S.T.P.p. qu. LVIII. art. III. & Armand. de bellô Visu Tract. II. c. 131. Hinc factum est, ut scientiarum Doctores, fontes quosdam, & penuaria cognitionis constituerint, quibus multarum rerum causæ reddi, & sic scientia comparari possit. *Principia* appellare solent, quia ab his prima cognitionis fundamenta capiuntur. Nam qui habet principium, ei facilius est invenire demonstrationem ait Arist. L. 3. Rhet. c. 17. Eandem viam etiam Mathematici hactenus servârunt. Si quis quærat, num incolis sub Sphærâ rectâ dimidia dies æquetur dimidiæ nocti, respondet Geographus affirmando, ideo quia sub Sphærâ rectâ perpetuum est Aequinoctium, nititurque principio Geometrico. Quæ æqualia sunt, ejusdem sunt dimidia. Si alius interroget, unde oriatur inæqualitas quadrantum anni, ita ut quadrans æstivus hibernum aliquot diebus excedat, respondetque Astronomus ideo hoc fieri, quod ☽ aliquando fiat Apogæus, aliquando Perigæus, multa tanquam principia præsupponit, ut ☽ moveri, dari in cœlo Eccentricos, ☽ nunc remotiorem esse a centro terræ, nunc eidem propiorem. Ita demum causam rei dubiæ reddit. Inveniuntur autem, qui modum demonstrandi per Hypotheses Mathematicis usitatum destruere volunt, quorum præcipuis objectionibus ut satisfaceremus, hanc suscepimus Exercitationem.

## §. II.

Quid *Principii* nomine hōc locō intelligendum sit, Oedipō augure opus non est. Dum enim Demonstrationi servire diximus, principia cognoscendi significari nemo non percipit. Plures vocis hujus notiones, prout reliqua τὰ δεδημοσίευμά τα quis non facile novit? Nimirum dupli cognitionem nostram dirigi ordine constat. Vel progeditur ab iis, quæ ex principiis fluunt ad principia ipsa. Sic quia ☽ observata est occultare reliquos Planetas, ut & quasdam stellas fixas, stabilitur principium Astronomicum, fixas superiores esse erraticis, Nam autem omnium infimam, quod etiam motus hujus periodicus, ac synodicus, utpote celerrimus luculenter docet. Vel porro descendit a principiis ad ea, quæ ex illis derivantur, & vulgo principiata vocari solent, veluti cum ex principio Opticō: Omne luminosum sphæricum majus illuminat sphæram minorem ultra dimidium, majorem in-

fra

fra dīmidium , probatur terram a Œ illuminari plus quam dīmidia , a  
Dā verò nondum dīmidia parte. Utrumquē cognoscendi modum  
cūm illum qui διπό τῶν δέχων , tum istum , qui δητὶ τὰς δέχας in-  
stituitur , similitudine desumptā ab eis , qui in stadiis a munerariis  
ad metas , & ē contrariō currunt , illustrat post Platonem , quem ibi-  
dem citat Arist. L. I. Eth. ad Nicom. c. II. Ipsa autem cognoscendi  
principia non unam constituunt classem. Quælibet suā appellatio-  
ne insignita sic se habent. (1) Axiomata (2) Hypotheses s. suppositio-  
nes. (3) Postulata (4) Definitiones , quem ordinem ipse servavit  
Arist. L. I. Poster. Anal. c. X. Edit. Pac.

### §. III.

AXIOMATA dicuntur principia ex se citra ullam probationem  
fide digna , qualia sunt. Impossibile est idem esse , & non esse. To-  
tum est majus suā parte. Quæ eidem sunt æqualia , etiam inter se  
sunt æqualia. Vocari a quibusdam solent primæ notiones , primæ  
Veritates , à Bernhardo Feliciano auctoramenta , a Viottō Maximæ.  
*Dignitates* ineptè dici putat Marc. Antonius Muretus , cuius pravæ  
consuetudinis Hermolaum Barbarum autorem facit. Ipse svadet  
aut Græcam vocem retineri , aut sententias dici debere L.VI. Variar.  
Lection. c. II. Latini pulchritudinem formæ in Viris Dignitatem , in  
mulieribus Venustatem appellârunt , notante Noniō Marcellō de  
Propriet. Serm. c. V. & Agratiō. Verbum ἀξίων apud Græcos sæpè  
sine dignitatis significatione idem valet quod δοξάζειν sentire , exi-  
stimare , vel ut Scaliger Exerc. 128. habet , indicare existimationem.  
Varroni ἀξιώματα dicebantur profata , vel proloquia Gell. L. XVI.  
c. 8. Cicero effata vocat L.IV. Quest. Acad. n. 95. alibi pronunciata,  
additque : Utar post aliō , si invenero melius. L.I. Tusc. quest. c. 14.  
Videtur hic vocem hanc explicasse ad mentem Stoicorum , qui quam-  
libet Enunciationem axioma appellabant ; leg. Diog. Laert. L. VII. in  
Zenone p. 477. quos deinceps secutus est Ramus , & plures alii. Imo  
Alex. Aphrodis. Comment. in L.VIII. Topic. (cap. III. §. 9.) scribit et-  
iam Aristotelem προτάσεις δεομένας διποδείξεως vocasse ἀξιώματα  
Ipse ibidem positionem , problema , axioma , & propositionem idem  
significantia esse censet , Quicquid sit , apud Mathematicos vox hæc  
non aliam quam supra adductam obtinet significationem. Neque  
Stoicorum usui videtur planè esse contraria , quod testatur Simpli-

cūis Commentar. in cap. LVIII. Epicteti sic scribens interprete Hieron. Wolffio. Axiomatis locō h. e. tanquam evidens, & secundum communes notiones verum adhibetur. Ea enim axiomata vocabant Stoici.

§. IV.

HYPOTHESES Mathematicæ aliæ sunt *subjecti*, aliæ *predicati*. Hypotheses *subjecti* sunt ea, quæ ipsò *subjectō* propositionis ad demonstrandum propositæ continentur, adeoque principia sunt h. l. *indemonstrabilia*, vc. Si demonstrandum sit angulos ad basin in  $\Delta l\circ$  æquicurro esse inter se æquales, ita procedit demonstratio. Quoniam unum latus alteri est æquale (per hypothesin) igitur productis æqualiter lateribus summæ frēnt æquales juxta *Euclid. L. I. Propos. V.* Hypotheses *Predicati* sunt producta causalia ex observationibus tanquam ex effectibus per *Analysin* prius demonstrativè (si certæ sint hypotheses) eruta, ex quibus reciprocè tanquam ex causis non tantum eadem observationes, sed & similes aliæ singulares ejus rei habitudines syntheticè deduci, præsertim autem calculus singularium secundum eas institui potest. vc. Quoniam ex plurimis observationibus motuum  $\odot$ arium deprehensum est, om ad 8 ferè dies longius morari in semicirculo septentrionali, quā in Australi, mediati sunt artifices, quæ causa esset hujus moræ, & comparatis, ac computatis inter se omnibus circumstantiis Analyticè deprehenderunt figuram motuum  $\odot$ arium i. e. circumferentiam orbitæ motus  $\odot$ aris inæqualiter se habere ad Eclipticam Coluro æquinoctiorum bisectam, quæ causa ita generaliter concepta est certissima. Hæc tamen in specie variis modis se habere potest, ex quibus quamvis inter se videantur oppositi, æquè bene deduci possunt effectus singulares, ac si unus tantum esset modus illius figuræ, quā  $\odot$ is motus illam inæqualitatem patitur: Nimirum fieri hoc potest vel per simplicem Eccentricum tantâ Eccentricitate præditum, quantum requirit differentia, unde *Hypothesis Eccentrici*, vel per Concentricum tantò Epicyclō præditum, quantum requirit differentia, & hinc dependet *Hypothesis Concentr - Epicycli &c.* conf. *Tycho L. I. Progymnas. p. 12.* Videamus jam quomodo alii Hypotheses Mathematicas definiant. Illas describere videtur Job. Damascen. *Diælæt. c. 65.* cum sic fatur. Est & *Mathematica*, (methodus) cum accipimus quæsumus, ut confessum, & obviamus in quoddam confessum, unde venatum est propositum: Clarius Tycho Brahe *Hypothes-*

*sis*

sis est, inquit; quæ mensuram apparentis motus per circulum aliasque figuræ ostendit, quas Arithmeticæ in numeros resolvit. vid. L.I. Epist. Astron. p.60. Differentiam Hypothesium in genere ab Axiomatibus ita exponit Joh. Philopon. Commentar. XLIV. in L.I. Post. Anal. Differunt autem mutuò dicta. Dignitates quidem a suppositionibus naturâ, propterea quod dignitates quidem omnibus congenitæ sunt, & habens ipsas unusquisq; ex se profitetur, et si non dicat eas Præceptor. Suppositiones quidem et si aliquæ quodammodo propter manifestationem per se creditæ sint, quemadmodum dignitates, tamen non potest unusquisq; per se ipsas proponere, sed indiget audire aliquid de ipsis a Præceptore. Neque tamen ideo ad demonstrationem evadunt inhabiles. Rectè Arist. Hypotheses sunt quibus positis, quia illæ sunt, efficitur τὸ συμπέρασμα s. Conclusio L. I. Post. Anal. c. X. §. 9. Etiam Sextus Empiricus, cuius tanquam magni Hypothesium Mathematicarum adversarii objections infra excutiemus, postquam ostenderat hypothesin unō modō dici dramaticum s. actuum argumentum, in aliâ significacione apud Rethores appellari quæstionem singularium, addit, In tertiatâ notione vocamus hypothesin principium demonstrativum L. Advers. Mathemat. c. XIX.

### §. V.

POSTULATA Græcis Αἰτίωντα, Latinis etiam Petitiones dicta, sunt principia, quæ concedi sibi vult docens a discente, ut inde aliquid concludere possit. Ut si postulet concedi sibi, posse duci ab uno puncto ad aliud lineam, quovis centrō, & intervallō describi posse circulum. Vi vocis quævis placita doctorum denotant, quæ Græci vocant δόγματα Latini decreta, vel scita, ut habet Seneca Ep. XCV. Sed usū Mathematicis consveto firmissima demonstrandi principia significant, sive sint ea, quæ nondum actu existunt, dicique possunt concessiva, sive ea quæ actualē existentiam a parte rei includunt, & positiva vocari queunt. Vide Hypothesum, & Postulatorum naturam accuratè explicantem Celeberr. Dn. WEIGELIUM Anal. Euclid. Sect. 2. c. VI. VII. & VIII. Postulata Mathematica strictè sic dicta doctrinæ quidem gratiâ diuersa statuuntur esse ab Axiomatibus, sed reipsâ ejusdem sunt certitudinis cum his, & tantum modō loquendi, & respectu habitō ad eum, cum quō nobis res est, ab istis differunt, ita ut tale Postulatum Mathematicum sit actu Axioma,

xio, Axioma verò sit potentia Postulatum. *vc.* Propositio hæc. Totum est quilibet parte suâ majus, inter Axiomata vulgo recensetur. Eadem si sic efferatur. Postuletur a totô auferri posse partem, postulatum erit. Alii hoc discrimen faciunt, quod in axiomatibus proponatur mera rei contemplatio, in postulatis adhibetur actio; (*Dasyph. Commentar. Rer. Geom. c. VI.*) h.e. respectus quidam, & applicatio contemplationis, prout modò ostendimus. Summæ ergò certitudinis sunt Postulata hæc, nec per se indigent demonstratione. Quod etiam aliâ ratione confirmabimus. Regula Philosophorum est. Propter quod unumquodque est tale, illud ipsum est magis tale. Atqui propter Postulata, fluentesque ex illis Propositiones demonstrationes evadunt firmissimæ, quas neque in dubium vocandas, neque refutandas esse monet *Arist. L. III. de Cœlo c. I. §. 4*. Sequitur igitur ipsa Postulata strictè sic dicta veritatis esse infallibilis. Idem Philosophus Postulata in latiore significatione accepta non tam re, quam modò rei, seu ratione ab Hypothesibus distingvi statuit. Nempe principium *περιεντίον τῆς μανθάνοντος τὴν δόξην* contrarium dissentis opinioni vocat postulatum. Si autem dissentienti probabile videatur, hypothesis appellat *L. I. Poster. Anal. c. X. §. 8.*

## §. VI.

DEFINITIONES Gr. ὅραι & ὕρωσιοι sunt Orationes terminos artis explicantes, ut cum diameter definitur, quod sit linea recta per centrum ducta, & ex utrâque parte in peripheriam terminata. Differunt a reliquis principiis, quod hæc ad *ἀπόδειξιν*, illæ ad *ἐνδειξιν* adhibeantur, hæc quæstionem an sit exponent, definitiones quid res sit enucleent, vid. *L. I. Topic. c. IV. §. 2. c. V. §. 2. L. VII. c. III. §. 2. c. V. §. I. L. 2. Post. c. III. §. 3. c. VII. §. 6. c. X. §. 1.* Solent a quibusdam Definitiones cum Postulatis conjungi, neque tanquam diversa ab eis principia separari, cum qui definit aliquid *vc.* lineam tacite postulare videatur, ut concedatur ipsi, posse ab uno puncto ad aliud duci lineam, cum non - Entis neque affectiones aliquæ sint, neque Definitiones. Hinc *Eustratius Commentar. in L. VI. Ethic. c. VII. t. 3. 4. p. m. 380.* triplicia tantum agnoscit scientiarum principia sc. axiomata, suppositiones, & postulata, forte quod sub his Definitiones implicitè contineri existimaverit, quas ipse inter principia numeravit *Comment. in L. I.*

Mo-



*Moml.c. VII.n.57.* Quidam duplicitia solum faciunt principia Axiomata, & Theses. Theses iterum in definitiones, & Hypotheses dividunt, quibus ipse praeivit Arist. L. II. Post. c. II. Hic autem quia cap. X. recensitõ a nobis ordine ea tradit, videtur divisionem illorum libero cuiuslibet arbitrio commisisse. Majoris evidentiæ gratiâ numerus quaternarius eligitur. Discremen singulorum quia non eodem modõ ab Autoribus traditur, tunc optimè cognoscetur, si demonstrationum aliquot exempla à Claviõ, aliisque explanata oculis subjiciantur. Præter enumerata principia habent Mathematici alias Propositiones ab his tanquam effectus, a suis causis resultantes, pro principiis ulteriorum inde fluentium, ut sunt *ωρθλήματα*, *θεωρήματα*, *λήμματα*, *πορίσματα*, quarum explicatio, quia proposito nostro parum conducit, hoc loco omittitur.

### §. VII.

Illud jam probandum nobis incumbit Hypothesum Mathematicarum magnam esse necessitatem. Axiomata quippe vix quispam verè sapiens seriò impugnavit. De Hypothesibus, ac sub earum nomine de Postulatis Controversia movetur. Definitiones ab his demum dependent. Qualis necessitas hic intelligatur, colligi exinde potest, quando Arist. L. I. de part. anim. c. I. docet necessarium *ἀπλῶς* esse in æternis, ἐξ *ταύτησιν* in caducis, & artificiosis. Scilicet necessariæ dicuntur Hypotheses Mathematicæ ex suppositione finis qui h. l. est demonstratio, quæ sine eis obtineri non potest. *Ἄναγκαιον γάρ οὖν αἰνῆσαι λύτρα ταύτησιν, ωπερε διπλάθραν τῷ εἶης λόγῳ.* Necesse est hypothesin postulare, quâ veluti scalâ quadam ad ea quæ sequuntur transeat, ait Arrian. L. I. c VII. Ita venæ sectio, vel medica potio simpliciter necessaria non est, sed ex suppositione finis alicujus, nempe valetudinis recuperandæ. Quod respectu necessarium significationem *utilis* habere solet, secundum tritum illud. *Quatuor expressè vox denotat illa necesse, utile, perpetuum &c.* Jam ergo & statum Controversiæ exposuimus, & Pro-Syllogismum fecuturæ probationis complexius, qui ita se habet. Quod tanquam medium ad finem aliquem producendum conduceat, illud est necessarium. Atqui postulata, & Hypotheses Mathematicæ sunt tales E.

### §. IIX.

Probamus Minorem, & sic ipsam necessitatem Hypothesum Mathematica-

thematicarum primò a naturâ demonstrationis.' Hujus' requisitum est, ut procedat ex certis principiis, quæ sint causæ conclusionis. Cum enim ex nihilō nihil fiat L. I. *Phys. c. IV. t. 33.* & L. VII. *Metaph. c. VII.* opus erit, ut conclusiones ex antecedente principiorum cognitione innotescant, prout etiam artes manuariæ, ut aliquid efficiant instrumentis indigent. *Omnis doctrina, & omnis disciplina dianoëtica fit ex antecedente cognitione.* Hoc autem perspicuum erit, si omnes considerentur. Nam & Mathematicæ scientiæ hòc modò comparantur, & cœterarum artium unaquæq; ait Arist. L. I. *Post. Anal. c. I.* Porrò Demonstrationis ope verum a falso, certum ab incertô discernitur, quod sine principiorum adminiculô expediri nequit, quæ fili Ariadnei instar cognitionem nostram promovent. Quod innuit Joh. Philop. *Comment. I. in L. I. Post. Anal.* ita scribens: *Sicut faber amussis usu lignum rectum a curvô discernit, & edificator perpendiculô parietem aequalē ab inclinatō, sic & Philosophus secundū Contemplationem verum a falso demonstrativā regulā discernit.* Quò respexisse videntur Veteres Proverbiō illō vulgari principium dimidium esse totius, de quò vid. L. de Sophist. *Elench. c. 34. §. 6. & Sect. X. probl. 15.* Plato quoque L. VI. *de Leg. p.m. 614.* Principium plus quam dimidium operis esse censet. Cum namque Demonstrationes propriam vim, ac efficaciam a principiis habeant, videtur dimidiā Demonstrationem confecisse, qui principium justum invenit. Unde Plato principia certaminis præfecto, penes quem summa rerum gerendarum est, demonstrationes ipsis certantibus comparavit. Jam si quælibet Demonstratio principiis dirigi debet, licet ab universalī ad particulare progressu de Mathematicis idem licebit affirmare. Neque enim illi demonstrationibus carent, sed præcipuis inter omnes gaudent, quas frustra impugnat Bened. Pererius L. III. *de Princip. Rer. c. 3. & 4.* argumentō inde sumptō, ac si Mathematici nullas habeant causas, ex quibus demonstrationes depromant. Contrarius est ei ad cuius consensum nequicquam provocat Arist. qui L. VI. *Metaph. c. I. §. I. & L. XI. c. VII. §. I.* Mathematicis principia, elementa, & causas assignat, & L. I. *Prior c. 30. §. 3.* Αὐτοὶ γάρ τινες διδέξεων mentionem facit. Ac ne solam autoritatem Pererio opponere videamus, quæ tamen si καὶ ἀνθεπον objiciatur, repudiari nequit, en aperta rerum documenta. Mathematicus inter alia pro objectō habet Φαινόμενα cœlestia, ut sunt Dñe deliquia, ejus



eius incrementa, & decrementa, stellarum varia magnitudo, progressusque modò tardior, modò velocior. Horum *causa* efficiens motus est. Habet quoque definitiones. Hæ autem constant ex materia, & formâ. *Materiæ* vicem genus, *formæ* differentia obtinet *Porphyry.* *Isag. c. III. §. 17.* Forma, & *finis* sæpe convenient L. II. *Post. c. II. §. 3. 5.* & L. I. *Oecon. c. I.* Habent igitur entia Mathematica suô modô causas. Argumentum quod hactenus diduximus, tale est. O. qui demonstrat necessariò utitur principiis. Mathematicus demonstrat. E. Mathematicus necessariò utitur principiis. Hæc verò non possunt esse sola Axiomata communia, quia Demonstratio debet procedere ex propriis, & domesticis. Rationes quippè quò universiores, eò remotiores sunt a propriis principiis L. II. *de Gener. Anim. c. VIII.* & L. I. *post c. 32. §. 9.* dicitur, imperitorum esse dicere eadem Arithmeticæ, & Geometriæ principia. Sequitur ergo præter hæc aliis opus esse principiis sc. Propositionibus prius demonstratis, observationibus, Hypothesibus, & Postulatis Q. E. D.

§. IX.

Alterum argumentum desumimus ex comparatione Mathematicæ cum aliis scientiis. Verè Cicero scribit. *Omnes artes quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quâdam inter se continentur.* Or. pro Arch. P. §. 2. Quæ finem eundem intendunt, illis media eadem adhibere conceditur. Ratio ergò nulla dari potest, cur quod omnibus scientiis licet, soli Mathematicæ prohibitum sit. Licet autem, imò necessarium est, ut disciplinæ principiis, ac hypothesibus gaudeant, ex quibus variarum Conclusionum apparatus ducatur. Communi Philosophorum consensu tria ad cuiuslibet scientiæ constitutionem requiruntur ( $\alpha$ ) subiectum ( $\beta$ ) affectiones ( $\gamma$ ) principia secundùm L. I. *Post. c. VII. §. 2.* & c. X. §. 5. juxta quas proprietates scientia definiri solet *affectionum de subiecto per principia demonstratio.* Jus suum quælibet tuetur. Metaphysica præter communia Axiomata, quæ etiam aliæ disciplinæ ab eâ participant, distinctas ab illis habet hypotheses, ut sunt: dari quatuor causarum genera. In omni causarum genere pervenientum esse ad primum, nempe primam causam efficientem, primam formam, primum finem, quæ tria in Deo conjuncta reperiuntur, & tandem primam materiam. Nec Physicis defunt hypotheses, quæ quatenus essentiam corporis constituunt principia essendi, quatenus motus in corpore

pore causa sunt, principia cognoscendi vocari solent. Ethicus dat ultimum actionum humanarum finem, Politicus hominem esse animal civile supponit. Oratorum hypotyposes, & Protopopœiæ, Poetarum fabulæ, excessus ex humanis, ac reliquæ fictiones, quid aliud sunt, quam hypotheses, quibus unusquisque eorum finem suum consequi laborat? Multi Philosophi controversas quæstiones præmissis quibusdam præcognitis, ac suppositis decidere solent, quem modum plerique Scholasticorum sat dextrè servant. Ipse Aristoteles L. I. Eth. c. IX. & L. X. c. 6. probaturus contra Stoicos S. B. non consistere in habitu virtutis utitur hæc hypothesis, contingere posse, ut quis virtute præditus totâ vitâ dormiat, adeoque nihil operetur. Idem L. 2. Rhet. c. VI. introducit Cydiam rogantem Athenienses, ut existimarent omnes circumstare Græcos, videntes, & non duntaxat audituros, quæ decrevissent. Concludimus iterum sequenti modò. Quocunque tanquam necessariò adminiculò disciplinis omnibus uti licet, illud & Mathematicis necessarium, ac licitum est. Atqui Hypothesibus, tanquam necessariò adminiculò disciplinis omnibus uti licet E.

§. X.

Tertiam rationem suppeditat nobis Locorum Accidentis Comparati consideratio. Exhibitent hi firmatam communī consensu regulam. Id præstantius esse, quod majus consequitur bonum, quam quod nullum bonum, vel malum aliquod secum affert. Scilicet ad utilitatis normam exigunt rerum pretia, & pro ratione stat boni emergentis dulcedo. Hæc militibus strategemata suggessit, venatoribus retium, nautis velorum usum persuasit. Scitè Græci τὸ καλὸν δρός τὸ καλῶν derivant, quod amœnitate suā vocet, ac invitet ad se omnes. Frustra ergo Mathematicis prohiberetur bonum hoc licitis inquirere modis. Quodnam illud? Scientiæ, ac cognitionis rerum possessio. Quantò igitur scientia nobilior ignorantia, tantò præstantius erit hypothesibus quæ ducunt ad scientiam uti, quam iisdem carere. His velis hactenus ad Fortunatas cognitionis Insulas navigarunt Mathematici, his retibus venatum fidereum instituere, hoc strategemate tandem cœlum ipsum, ætheraque ingenio supposuere suo, ut canit Poëta. Rei alicujus dignitas ex absentia ejus æstimari solet. Persæ olim post mortem Regis quinque dies vivebant sine legibus, ut fidelius eas custodire disserent. Finge jam sine Hypothesibus doceri debere

Astro-

Astronomiam, quam imprimis spoliare volunt illis contradicentes, & plurimarum rerum notitiam perituram esse deprehendes. Ignorabuntur, vel tantum vulgari modò deprehendentur stellarum ortus, & occasus, ascensiones, descensiones, longitudines, latitudines, declinationes, amplitudines, culminationes, parallaxes, directiones, retrogradationes, stationes, veri motus, medi motus. Eclipsium nescietur qualitas, & temporis ratio ignota latebit. Paucis. Redibit in Astronomiam per infaustum παλιγγλεσίαν antiqua mater Philosophiae admiratio, cum satellite ignorantia.

### §. XI.

Ultimum Thesi nostrae argumentum præbet consensus eruditorum per multa secula unanimis. Si vetustas rei veritatem commendat, hæc sane hypothesisibus aperte patrocinatur. Est autem τυπωτον τὸ πρεσβύτερον. Si artifici in suâ arte credendum, hypothesisum necessitatem Mathematicorum omnium suffragia factentur. Hi enim & præceptis, & praxi usum earum sollicitè inculcârunt, easque omni tempore magni fecerunt. Audiamus unius ex omnibus Nobiliss. Tychonis de Brahe judicium exasciatum, qui ut ipse per 28 annos Astronomicis observationibus laudabilem navavit operam, ita præstat huic rectè loquenti fidem dare, quam Empedocli balbutienti credere. Sic verò ille scribit L. i. Epist. Astron. p. 61. *Sine his (sc. Hypothesibus) si quis astrorum motus comprehendere velit, Fortunam quod dici solet invocet, & supramundanam extra hominum intellectum, planè incorporam, & plusquam Angelicam rationem imaginetur, necesse est.* Benè Fortunam invocandam syadet. Veteres autem Erganen, & Minervam, non Fortunam præfecerunt artibus Plutarch. L. de Fortun. p. m. 99. Angelicum cognoscendi modum optat, qui quantis parasangis excedat humanum vid. Job. Damasc. L. 3. de Fid. Orthod. c. 14. & Thom. de Aqu. S. Ph. P. p. qu. XX. art. I.

### §. XII.

Sufficere ista putamus pro afferendâ Hypothesum Mathematicarum necessitate æquis rerum Censoribus, cum qui semel veritati bellum sündixit, neque Iliade rationum moverise patiatur. Hoc nunc erit opus, ut requisita quædam Hypothesum recenseamus, quibus & ea quæ dicta sunt dilucidentur, & objectio-

nibus adversariorum mature nervi præcidantur. Sciendum igitur est, non licere sub Hypothesium prætextu quidvis fingere, seu ut loqui amat *Isidor.* *Hispal.* L. VII. Orig. c. 2. quid pro quô dicere. Dantur quippe absurdâ quorundam in Mathesi dogmata, quæ licentiae hujus involucrō palliari non possunt. Turcæ referente Bernegero *Quæst. CLXIV. in Tacit.* perswasum sibi habent videre se Om. & Ðm equis vehi, & stellas in aëre è catenis aureis pendere. Anaxagoras statuit cœlum totum ex lapidibus esse. Imo prædixisse fertur lapidem è Æo casurum, quod factum narrant in Thraciâ ad Ægos flumen. *Laërt.* L. II. in vitâ ejus. Credat hæc Judæus Apella. Errores tales Hypothesium nomine velari minimè poterunt. Quod etiam in aliis scientiis attenditur, cum non ex quolibet fiat quidlibet juxta L. I. *Phys.* c. V. §. 43. Explosus est ab Historicis, quem alibi peculiari Dissertatione excussum Isaacus Peyrerius cum suâ de Præ-Adamitis opinione, etiamsi eam Ptolemaicæ, vel Coperniceæ hypothesi comparaverit. *Exerc. de Præ-Adam.* c. VIII. & in *Deprecat. ad Alex.* VII. Papam editâ Francof. ann. 1658. p. 24. In talibus verum est antiquum illud. Datô unô absurdô, seqvuntur plura. Error in principiô commissus, in progressu fit decies millies major. Recte apud Arist. Epicharmus. Χαλεπὸν δὲ μὴ παλῶς ἐχόντων λέγειν παλῶς h. e. Interpretè Bessarione. Difficile est, ex non benè præsuppositis benè dicere L. XIII. *Metaph.* c. IX. Quod simili declarat Lucret. L. IV. de Nat. Rerum.

- Ut in fabricâ, si prava est regula prima,  
Normaque si fallax rectis regionibus exit;  
Omnia mendosè fieri, atque obstipa necessum est,  
Prava, cubantia, prona, supina, atque absinta cuncta  
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Arcetur à finibus Astronomiæ Gaffarelli hypothesis scripturam Hebream cœlestem ex variâ stellarum dispositione introducentis. Sequeretur exinde Deum modò solos servos suos habere Rabbinos, quibus secreta consilia communicet, ut contra eum colligit *Job.* *Baptista Helmontius* ipse insignis veritatis Depravator in *Tumulo pestis* f. m. 177. edit. Lugd. 1667. Falsæ hypothesis fructus est, quando *Cornel. à Lapide Comment.* in c. VII. *Math.* inferni quantitatem conjecturæ decempedâ emensus concludit longitudinem ejus esse 200 Milliar.

Ital.



Ital. latitudinem, & profunditatem totidem, damnatos autem compingi ut haleces, & pisces in vase. Hac demum arte ex arenâ neutuntur funiculi.

### §. XIII.

Porrò ut Hypothesis aliqua sit legitima, non sufficit nuda dicentis autoritas, ita ut propterea putetur esse vera, quia hic, vel ille Mathematicus eam defendit. Non enim quis quid, sed quid quis dicat, in veritate inquirendâ spectatur. Servitutem redolet quod olim quibusdam nulla firma visa fuerit opinio, nisi quam Longini judicium confirmaverat *Eunap. in Porph. p. 17.* Rationi injuriam faciunt Rabbini, quando sibi tantam autoritatem tribuunt, ut dicentibus dextram esse sinistram, & sinistram esse dextram credi sine hæsitatione velint, ut de eis refert *Nicol. Lyra Comment. in Deuter. c. XVII. vers. XI.* Argumentum ab autoritate petitum non rejicitur simpliciter, sed præviâ sufficienti per rationes firmas probatione adhibetur, ut ostensò cum pluribus eruditis consensu, & veritati lux conferatur, & novitatis suspicio evitetur. Valet tunc demum regula *Vincent. Lyrin. ex Commonit. ad gent. c. 4.* *Quicquid omnes non duo, aut unus, uno, eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognoveris, id tibi intelligas absque ullâ dubitatione credendum.* Quare & Mathematici Hypothesium suarum si alicui obscuræ videantur, causas reddere, imo easdem ad oculum declarare confieverunt.

### §. XIV.

Requiritur autem ut Hypotheses Mathematicæ naturæ rerum quantum fieri potest respondeant. Ita namque certius illis nitit licet huic debitâ harmoniâ respondentibus, cum ars sit imitatio naturæ juxta *L. II. Phys. c. III. 22. & L. IV. Meteor. c. III.* Unde μίαν ναὶ ἀπειδόντων Φύσεως vocatur à Philone *L. de temulent. p. 196.* Munus etiam sapientium est loqui τὸν Φύσιν ναὶ καὶ ἀληθεῖαν *L. de Sophist. Elench. c. XII. §. XI.* quo ipsò supra vulgi conditionem extolluntur, quod non tam secundum veritatem, quam secundum apparentiam de rebus judicare solet. Etiam demonstrationis requiritum esse essentiale est, ut procedat ex principiis veris. Vera autem dicuntur, quæ vel ex se fidem habent, vel naturæ rerum ex origine suâ congruunt. Hoc ut fiat, non subito formantur Mathematica-

AB.

ticorum asserta sed temporum diuturnitate, & solerti industriâ opus habent. Magnâ cautelâ, & circumspectione in experimentis capessendis opus est, antequam rem ita sese habere afferatur. Dici enim vix potest, quam sâpè aliud, quam quod intenditur, proveniat. Quod & Keplerus de seipsô ingenuè fatetur, qui cum post septies observatam diametri Oaris quantitatem semper diversam, nunquam eandem comprehendisset, impatientiâ motus de Astronomia perfectâ instauratione parum abfuit, quin conclamatum scripsit ait Athanas. Kircher. L. II. de arte Magnet. part. V. c. 6. qv. 2. p. m. 427. Sic Jacobus Bernoullius, qui inauditò hactenus conamine cometas audet prædicere, 38 annorum & 147. D. poscit spatum ad explorandas quibus nititur Hypotheses, ex eisque deductas Conclusiones p. 53. System. Comet. Per accidens quandoque fieri solet, ut ex falsis deducantur vera. vid. L. VIII. Top. c. XI. §. 2. L. II. Prior. Anal. c. II. §. 2. 4. 27. c. XV. §. 16. L. I. Postr. c. VI. §. 8. c. XXXII. §. 1. Evenit hoc perpetuò in demonstratione ducente ad absurdum. Ex.gr. si quis dicat diagonalē commensurabilem esse costæ, demonstrans assumit Propositio- nem hanc, ex eâque concludit numerum parem æqualem esse im- pari, quod quia ipse adversarius absurdum esse agnoscit, concludit demonstrans ex falsis his principiis diametrum non esse commen- surabilem costæ Q. E. D. Taliū Demonstrat. Exempla vid. apud Euclid. (in Edit. Rhodii) Prop. VII. VIII. XIV. XIX. XXVIII. XXXIX. XL. Libr. I. & aliâs passim. Sed exinde vitiosè infertur Hy- potheses Mathematicas falsas esse, quia tales Hypotheses non sunt Mathematicæ, sed contra Mathemat. allatæ, quin potius ex certitu- dine demonstrationum certitudo Hypothesium Mathemat. firmissi- mâ ratione evincitur.

#### §. XV.

Præcipuum è requisitis Hypothesum hoc est, ut sint Causæ conclusionis L. II. Phys. c. III. t. 31. i. e. ut aptæ sint, ex quibus inferatur id, cuius manifestatio intenditur. Causæ enim appellationem non meretur, quod caret virtute suo modo producendi effectum. Sic frustra aliquis antiquos imitatus Lunaticos, homines in Ðâ vi- vere supponeret, ad excusandas apparentes ejus maculas. Non tam incongrua Mathematici adhibent principia, sed ex quibus in- fallibilis emergit Conclusio, quemadmodum hoc Ephemerides Astro-

nomo-

nomorum manifestâ probatione evincunt. Præter hæc requisita docet Ptolemaeus L. XIII. Magni Oper. c. II. ut simplicissimæ suppositiones aptentur motibus cœlestibus, quod tamen non omnino probare vult Joh. Kepler. Epitom. Astron. Copern. L. IV. p. m. 504. Reliqua Hypothesium requisita complectitur D. Ægid. Strauch. Doctrin. Astror. Sphær. Aphor. XVI. ubi monet (1) ut apparentiæ sideralis rationem explicent (2) ut omnium seculorum observationibus congruant (3) ut quoad fieri potest, sint perspicuæ (4) ut neque sibi invicem, neque alibi demonstratis contrariantur facile.

### §. XVI.

Ordinis nunc ac Disputationis ratio postulat, ut postquam sententiā nostrā argumentis sufficientibus munivimus, & ampli declaratiōne illustravimus, ad dissentientium castra nos convertamus, appācum eorum exploraturi. Jam Aristotelis indicō colligimus fuisse olim quosdam, à quibus Hypotheses Mathematicæ finistris exceptæ erant judiciis. Verba ejus hæc sunt. *Neque Geometra falsa supponit, ut non nulli asserunt, qui non oportere inquiunt falso principio uti. Geometram verò mentiri, dum pedalem ait esse lineam, quæ non est pedalis, aut rectam eam quam descripsit, quæ non est recta* L. I. Post. Anal. c. X. §. 10. Quinam fuerint *οἱ ἐναὐλίας* ipse non indicat. Conjectimus autem fuisse Aristippum, Protagoram, corumque asseclas. Illos namque duos tanquam hostes Mathematicorum in scenam producit L. II. Metaph. c. II. Argumentum eorum hoc erat. Qui dicit lineam pedalem esse, quæ non est pedalis, & rectam, quæ non est recta, ille mentitur. Atqui Geometra hoc dicit E. Resp. Majorem non esse simpliciter veram, neque Minorem concedi posse. Major absolute vera non est. Nam mendacium non tam aestimatur ex eō, si quis rebus dissona verba dicat, quam ex intentione nocendi, vel decipiendi. Neutra in scientiarum Doctoribus facile præsumitur. *Falsum nemo docere aggreditur* ait Arist. L. VIII. Top. c. V. §. 1. vid. & Plato L. VI. de Rep. post init. Epictetus primum, ac maximè necessarium in Philosophiā locum dicit esse *de non mentiendo Enchirid. c. LXXVI.* Quomodo figmenti genus veritatis Professoribus conveniat, ostendit Macrob. L. I. in Somn. Scip. c. II. In minore probandum sumitur pro probatō. Neque enim Geometra pro linea non pedalī pedalem, pro non rectā rectam sumit, sed talem concipit, qualem res subjecta postulat. *Quomodo ergo dici potest,*

na-

naturam alicujus everttere , cui valorem ipse dat , quem sine ejus conceptu planè nullum haberet ? Igitur qui non intelligunt Poëtas ( Geometras ) velut mendaces insequuntur scribit Lactant. L. i. Inst. c. XI. Porrò Epicurus quoque totam Geometriam falsam esse credidit , cui assentiens Polyænus , qui magnus Mathematicus fuisse dicitur , illa etiam quæ sciebat , oblitus est , ut refert Cicero L. IV. Acad. Quæst. c. XXVI. n. 106. Unde Ramus Mathematicæ osores Aristippeos passim & Epicureos in suis Scholis Mathematicis vocat. Audiamus quomodo propter hypotheses exagitet Geometriam Lucianus Samosat. Geometria inquit illis , qui artem exordiuntur absurdam quædam postulata proponens , eaque sibi concedi volens , quanquam consistere nequeunt individua puncta , latitudinem non habentes lineas , & id genitus alia ὅπῃ βαθεῖς τοῖς θεμελίοις τέτοις ὀικοδομεῖ τὰ τοιαῦτα putridis super fundamentis ædificat Tom. I. Oper. in Hermotimo p. 608. Edit. Salmuriens. Dicteria hæc ex malâ persuasione profluxisse , quis non advertit ? Neque prætereundum hic duximus , quod Seneca de Hypothesibus Mathematicis perperam intellectis scribit Epist. LXXXVIII. Ut procedat ( operatio Mathematici ) impetranda illi quædam principia sunt. Non est autem ars sui juris , cui precarium fundatum est. Philosophia nil ab aliō petit. Totum opus à solo excitat. Mathematica ( ut ita dicam ) superficiaria est , in alieno ædificat , aliena accipit principia , quorum beneficio ad ulteriora perveniat. Ingenio videtur magis , quam veritati indulisse. Senecæ opponimus Senecam , qui rationibus Geometricis tantam defert vim , ut non persuadere , sed cogere eas asserat L. i. Nat. Quæst. c. IV. quod iisdem verbis de Geometris perhibet Tullius l. c. c. 29. n. 116.

### §. XVII.

Dimittimus velites hujus certaminis. Apertius movent bellum , qui sequuntur. Primus est Sextus Empiricus , quem Sec. II. sub M. Aureliō Antoninō Philosopho floruisse quorundam vult opinio. Hic ut suam ostentaret scientiam , scientiarū omnium tentavit eversionem. Nostrum erit allatas ab eō contra Hypotheses Mathematicas objectiones examini subjcere. Excerpsimus illas ex librō ejus adversus Mathemat. c. XIX. quod est contra Geometras , Interprete Gentianō Hervetō Edit. Parif. 1569.

ER sonat Ausonium caput hoc , sonat ER que Pelasgum ,

ER sonat Hebræum , prætereaque nihil.

Con-

Confutationem suam ita inchoat. Geometrae considerantes multitudinem dubitationum, quae ipsos consequuntur, configiunt ad rem, quae videtur tuta, & remota à periculo, nempe ut ex hypothesi petant principia Geometriae. In limine errare malum omen. Errat autem, dum Geometras multitudine dubitationum coactos ad hæc asyla velut ignavos milites recipere se statuit, qui tamen hypotheses veritatis, & demonstrationis gratiâ, ut apes suas cellulas, non tam tempestatis, quam mellificii causâ adhibent. Jam ordine disponit objectionum aciem, utque magis niteat, Syllogisticô eam ornat habitu, probègnarus versutus Philosopher, se ita longè accuratius disputare, quam si indigestâ dubitationum Scepticarum mole atomos Democriti seminâsset. Prima ejus ratio hæc est. Aut validum, & firmum ad faciendam fidem licet aliquid sumere ex hypothesi, aut non fide dignum, & imbecillum. Si validum, etiam quod ei est adversum sumptum ex hypothesi erit fide dignum, ac firmum. Quamobrem ponemus inter se pugnantia. Si autem in cō, quod sumit contrarium ex hypothesi non est aliquid fide dignum, erit etiam non fide digna hypothesis. Quare neutrum eorum ponemus. Non est E. aliquid suadendum ex hypothesi. Resp. Neg. Consequ. quando dicit. Si valida licet uti hypothesi, licebit adhibere & invalidam. Ac porrò. Si valida fidem meretur, etiam infirma fide erit digna. Inauditum est in Scholis Philosophorum ex veritate alicujus Propositionis veritatem contrariæ ejus, vel Contradictriorum colligere velle. Neq; Scepticorum quispiam sic ausus est concludere. Video arborem. E. non video arborem vel ita: Verum est videre me arborem. E. falsum est videre me arborem. Aliud esset, si quis citra respectum talis Consecutionis scire vellet, cur non hypotheses æquè negative concipientur, ac affirmatiæ, cui respondemus nihil temerè affirmari, aut negari, nisi rationes adsint affirmationis, vel negationis sufficientes. Cœterum si ex veritate unius, non semper sequitur veritas alterius, & quidem diversæ Propositionis (Risum enim merebatur, qui ex veritate hujus Enunciationis oves esse in Siciliâ, Papæ dominium directum super eam ostendere voluit) quantò minus ex veritate Propositionis alicujus, veritas contrariæ, vel Contradictriorum ejus colligitur? quô ipsô contra prima principia impingetur. Ex his ergo præmissis frustra quidpiam concludere præsumit adversarius.

C

§. XIIIX.

### §. XIIIX.

Secundum Argumentum ita profert. Res quæ ponitur per Hypothesin, aut est vera, & talis qualis eam ponimus, aut falsa. Sed si est vera, ne petamus eam confugientes ad rem suspitione plenam, nempe hypothesin, sed eam ex ipsa sumamus, quandoquidem nemo vera, & ea quæ sunt, ponit per hypothesin, sicut nec nunc diem esse, aut me disserere, & respirare. Si est falsa, nihil commodi existet ex hypothesi. Nam etiam si eam ponamus millies, ex malis fundamentis non sequitur Conclusio questionis, quæ proficiuntur ex principiis, quæ minimè esse possunt. Ex Insufficientem esse partium Enumerationem in majore Propositione Syllog. disjunctivi, quia inter verum, & falsum potest intercedere medium. Dicamus autem Hypotheses Mathematicas, si probæ fuerint, esse veras, quid inde? Si sunt veræ inquit, ne petamus eas tanquam hypotheses, sed eas ex ipsis sumamus, quia nemo quæ vera sunt, ponit per hypothesin. Errat Sextus, quando Hypothesin Mathematicam confundit cum Enunciatione Hypotheticâ Logicorum, quâ nihil certi poni solet. Atqui Mathematici Hypotheses suas etiam Categorice proponunt. Errat porrò quando in Hypothesi vera contineri negat. Hypotheses utique sunt, quas in demonstrationibus Geometr. passim adhibuit Euclides, quas nemo hactenus in dubium vocare potuit. Exempla allegata locum hic non merentur. Desumuntur de talibus rebus, quæ sub sensu cadunt, ut dies, sermo, respiratio. Hypotheses à rebus sensibilibus abstracthantur, & ideo intellectu tantum cognoscuntur. Propria vincta coedit, quando negat, ex falsis sequi posse vera, paulò post autem sui immemor ita loquitur. *Quando naturā est comparatum, ut vero consequens sit verum, & falsum, ita etiam censetur cum falso quoq[ue] induci verum. Ut ex hoc quod terra volet, quod quidem est falsum, sequitur quod sit terra, quod est verum p. 74.*

### §. XIX.

Tertiam rationem deducit ab absurdō his verbis: *Si quis iis quæ ponit ex hypothesi credibilia velit facere ea, quæ consequuntur, ponet unusquisq[ue] nostrum ex hypothesi tria esse quatuor. Eō autem concessō colligitur, quod etiam sex sint oēto. Nam si 3 sunt 4, 6 erunt 8. Atqui 3 sunt 4. ut dat hypothesis E. 6. sunt 8. Ex. Concludi hic à dictō secundūm quid ad dictum simpliciter. Quæ autem audacia est,*

est, ex concessō usu rei alicujus inferre velle ejusdem abusum? Quasdam hypotheses adhibere concessum est, non quaslibet, ac cuiuscunque generis, imprimis quæ sensui, ac rationi sanæ repugnant, qualis est illa 3 esse 4. Peccat contra requisitum §. XII. assignatum. Pugnat quoque cum primō principiō, quō impossibile esse idem esse, ac non esse decernitur, quales hypotheses audiendæ non sunt. Ut absurdus objectionis nexus melius appareat, formemus similes Consequentias. Si licet loqui, E. licet quodcumque libet loqui? Atqui Legatis arcana Principum evulgare nefas. Si bellum licitum est, legitimum erit quodlibet bellum? cum tamen duellum re, & nomine bellum refrens, & multa certaminum genera non sint permissa. Ista sunt præcipuae, generales autem Sexti Empirici contra Mathemat. Hypotheses rationes, quibus discussis convertimus nos ad specialiores, quibus Geometriam labefactare nititur, omitentes infirmas, & quæ se ipsas refutant.

### §. XX.

Primò hypothesin de punctō ita impugnat. *Punctus quem dicunt signum esse nullum habens intervallum, seu dimensionem, aut intelligitur corpus, aut incorporeum. Corpus non est. Quæ enim non habent dimensionem, non sunt corpora. Restat E. ut sit incorporeum. Incorporeum autem intelligitur nullius gignendi vim habere, ut quod minimè tangi possit. Intelligitur autem punctus gignens lineam. Non est E. punctus signum nullum habens intervallum, aut dimensionem.* **R.** Prosylogismum iterum laborare insufficienti partium Enumeratione, quam dum negligit καὶ μαγείς more judice Platone in Phœdrō delinquit. Corporeum, & incorporeum differentiæ sunt substatiæ. Aliis ergo quæ extra hujus sphæram locantur, tribui nequeunt. Punctum non esse corporeum rectè probat à negatione dimensionis trinæ. Accipiendum hoc de punctō Geometrico, cum aliàs punctum Physicum vocetur, quod doctrinæ gratiâ cretâ pingitur, neque de punctō Optico, cuius nomine scopum expositum sclopetarii vocant, imo totus globus terraqueus punctum dici solet. Quò respectu fortè punctum στοιχεῖο Philosopho dicitur L. I. Post. Anal. c. 27. §. 3. qui verò punctum privatione cognosci docet L. 3. de an. c. 6. t. 25. Unde quidam indivisibilia ex numero entium positivorum excluserunt vid. Ægid. Rom. in L. VI. Phys

c. II. qv. i. & Conimbric. in eund. locum. Sed falsum est, quando pergit. Restat ergo ut sit incorporeum. Talis hic convenit responso, quæ sita est in simili objectione. Licebit igitur eodem modō dicere. Manus videns non est. E. cœca. Atqui privatio ei non competit, cui non convenit habitus. Item. Ciphra non est numerus par E. erit numerus impar, cum planè non sit numerus, velut punctum non est magnitudo, cum quô illa in multis similem habet rationem, ut ex Stevinô ostendit Lauremb. Inst. Arith. L. I. c. II. §. 10. Si nō incorporeum negativè accipiat, quô modō accidentia omnia incorporea dici possunt, absurdè subsumit, non futuram exinde lineam, quia hæc non ex intrinsecâ puncti ratione deducitur, sed ab intellectu dependet. Ita neque hic concludit, quod concludere volebat.

### §. XXI.

Contra Hypothesin de linea hæc objicit. Non datur latitudinis expers longitudo. Non in sensibilibus, quia quamcunque sumpserimus sensibilem longitudinem, eam sumemus cum quantâ latitudine. Nec in intelligibilibus, quod variè, confusè tamen probare conatur. Sed salva res est. Lineam definit Euclid. quod sit longitudo latitudinis expers L. I. Elem. Def. 1. seu ut Gellius loquitur *longitudo illatabilis* L. I. c. 20. Differentia negativa est, prout ab Arist. non rarò rebus assignatur, ut legi communi L. I. Rhet. c. X. substantiæ primæ L. Categ. c. V. §. 1. Deo L. 5. Top. c. 1. §. 2. & L. 2. de Celo c. III. t. 17. Justo Rhet. ad Alex. c. II. animali L. I. Prior. c. XXXI. §. 3. ultimo L. I. Post. c. XXI. §. 1. donationi L. 4. Top. cap. 4. §. 12. Unitati L. I. Post. cap. 27. §. 3. Materiæ primæ, &c. Quando objicitur, longitudinem ejusmodi sensu non posse percipi, dicimus hoc non obstante veram esse Definitionem. Non exigit Mathematici officium ad sensis judicium recurtere, sed rationis cynosuram sequi, quô differt à Physicô, cui ratio neglecto sensu oblata, est ἀρρωσία τῆς Διανοίας L. VIII. Phys. c. III. t. 22. Hinc Plato reprehendit Eudoxum, Archytam, & Menæchmum, quod cubi duplicationem aggressi sint in instrumenta, & mechanica opera conjicere. Hoc pacto ajebat corrumphi, & perdi Geometriæ bonum, rursus ad sensilia refugientis. Plutarch. L. VIII. Sypos. qu. 2. Quantitas tanquam objectum Mathematicæ formaliter intellectui inhæret, virtualiter materiæ, quæ ideo duplex statuitur, quod his verbis declarat

Philos.

**Philos. L. VII. Metaph. c. X.** Materia quædam est sensibilis, quædam intelligibilis. Sensibilis quidem, ut æs, & lignum, & quæcumque mobilis materia. Intelligibilis verò quæ insensibilibus existit, non prout sensibilia, ut puta ipsa Mathematica vid. etiam L. VIII. Metaph. c. VI. & L. i. de an. t. 17. objectum Mathemat. ponitur τὸ ἐξ ἀφαρέστως. Neque verò sensibilis domus eadem est cum intelligibili ait Plotinus Ennead. I. L. II. n. 1. Redimus ad lineam. Nihil decedit hypothesum dignitati, et si hæc solō intellectu apprehendatur, prout etiam Augustin. putat longitudinem non inveniri in corpore, sed solā mente concipi Tom. I. L. de Quantit. animæ c. XI. Intellectus non-Entia sibi imaginari potest, ut hircocervum, cur non eadem facilitate longitudinem sine latitudine intelligat? Ipse Sext. Empir. l. c. p. 78. fatetur intelligere se Hippocentaurum, qui neque sit homo, neque equus, at lineam quæ longa, non latata sit intelligere vel non vult, vel non valet. Interim etiam in rebus materialibus lineæ similitudinem exhibere quidam conabantur. Ammonius Comment. in c. VI. Categ. f. m. 55. Edit. Venet. 1541. Om partem parietis illustrantei observare monet, ubi id quod locum fulgidum ab obscurō discernit, est longitudine sine latitudine. Heinlinus tenuissimō filō summā vi extensō lineam repræsentari posse putat part. i. Geom. c. III. Christoph. Clavius Comment. in L. i. Euclid. p. 2. extremitatem acus acutissimæ similitudinem puncti exprimere censet, lineam ut concipiamus imaginari jubet punctum ē loco moveri. Cum enim punctum sit prorsus individuum, relinquet ex isto motu imaginariō vestigium quoddam longum omnis expers latitudinis. Idem ab Eratosthenie traditum suisse memorat Sextus Empiricus. Hoc ut apertius sensui sistat Scaliger, ita scribit. Detur pila perfectæ rotunditatis super planō perfectō. Pila mota lineam generare videbitur super illa planicie, quæ ex punctorum successione producatur, quando contactus utriusque motū est in puncto Exerc. LXV. f. 3. Ex his patet intellectui perfectè, sensui per similitudinem repræsentari posse latitudinis expertem longitudinem.

### §. XXII.

Ulterius Hypothesin de Corpore sic revertere molitur. Si corpus est, quod habet tres dimensiones, aut est corpus ab eis separabile, adeò ut aliud quidem corpus sit, aliud verò longitudine corporis, latitudo, ac profunditas, aut eorum congeries est corpus. Sed ab eis quidem separari con-

pus non est probabile. Ubi enim neque longitudo, neque latitudo, neque profunditas, fieri non potest, ut illic corpus intelligatur. Si autem eorum congeries intelligitur corpus, & præter hæc nihil est aliud, necessariò quoniam unumquodque eorum est incorporeum, communis quoque corporum coitio erit incorporea. Duæ hic occurunt, quibus ludit æquivocationes, altera in corpore, altera in separatione. Corpus, si vocem in abstractō species, denotat trinam dimensionem longitudinem, latitudinem, & profunditatem, estque species Accidentis, & pertinet ad prædicamentum Quantitatis. Si significata respicias, rem habentem trinam dimensionem significat, habetque sedem in Categorîa substantiæ. Separatio quoque alia est realis, ut cum ramus ab arbore sejungitur, alia fit solò intellectu, ut cum juxta Scotti doctrinam Physicus à materiâ singulari non sensibili, Metaphysicus à materiâ sensibili, & intelligibili, Mathematicus à Materiâ sensibili, non intelligibili abstrahit. Hoc modò abstracta dimensio trina constituit corpus Mathematicum. Exceptio vitiò manifestò laborat. Dicit Sextus. Si unumquodque eorum est incorporeum, communis quoque corporum coitio erit incorporea. A partibus seorsim sumptis ad totum non licet argumentari, præser-tim si sint heterogeneæ. Non admisisset ipse hanc collectionem. Si oculus in Sextô non est Philosophus, neque humerus, neque pes, se-quitur nec totam membrorum societatem Sextum constituere Philoso-phum. Denique irritò conatu duo problemata Geometrica aggredi-tur. Putat lineam non posse secari in duas partes æquales, quia si linea A B constans & punctis dividenda proponeretur, secari in duas par-tes æquales non posset, cum punctum h. l. quintum F sit indivisibile, quatuor ab utrōque extremorum resectis. Resp. Frustra hic dividi, quæ erant conjungenda. Quando bisectione fieri jubetur, linea con-side-ratur secundùm longitudinem, non secundum puncta, quæ non sunt partes integrantes lineæ, sed formales, divisionis omnis expertes. Ne-que possunt numerari puncta in linea intelligibili, quandoquidem in-divisibilia non actu, sed potestate in continuò reperiuntur discreta, ut docet Arist. L. VIII. Phys. c. VIII. t. 68. Idem L. de insec. lineis ostendit quamlibet lineam in infinitum secari posse. Άεὶ Διαιρεῖται πᾶσα γέγονη ait L. IV. Physic. c. XII. t. 108. vid. L. VI. c. II. t. 22. Con-cipiamus autem lineam dictam A B & punctorum, quæ si secari de-beret, punctum quintum F tribuetur lineæ dividenti CFD, duo qua-ter-

terniones F A, & F B partes æquales dabunt. Idem reponimus, quando alterum problema Geometricum oppugnaturus ait, circulum non posse dividiri in duas partes, quia centrum ejus alterutri parti esset tribuendum, fierentque partes inæquales, aut ipsum centrum divideretur in duas partes. Si enim centrum M tribuatur lineæ dividenti O M R, periculum nullum metuendum, quemadmodum etiam puncta contantur O & R in peripheriâ O G R L sectionem ejus ab O in N, & ab R in E non impediunt. Eadem contra lineam, corpus, & lineæ sectionem iisdem verbis repetit in fine L. VIII. *Commentariorum f. m. 307.* & seqq. Meminisse autem debuit principii Sceptici. *Omni Orationi Orationem æqualis ponderis, & momenti adversari*, quod detegit L. I. Pyrrh. Hypotyp. c. VI. & colligere, eadem facilitate hæc ab aliis refutari posse, quâ ab ipsô proposita erant. Sed prævalere sibi passus est alterum illud. *Scepticum de industria debiles proponere nationes*, quod demum revelat in Conclusione operis nempe L. III. Pyrrh. Hypotyp. c. 32. Habemus ergo confidentem reum.

### §. XXIII.

Dimittimus Scepticum Philosophum. Cynicus post eum se offerat, scilicet Henricus Cornelius Agrippa à Nettesheym. Hic superiore seculo repugnante Minervâ librum protrusit in publicum contra omnes directum scientias, cuius titulus: Declamatio invectiva de incertitudine, & vanitate scientiarum, non ambitione, odio, dolô, aut errore, ut loquitur in Præfatione, sed quod videret multos humanis scientiis sic insolescere, ut sacrarum literarum eloquia contemnant. Scire autem debuit, non faciendum esse malum, ut inde eveniat bonus. Multi verbò Dei abutuntur, quod tamen Declamationem invectivam propter eos non meretur. Utque avem ex pennis agnoscas in Dedicatione verbis disertis fatetur suam insignem ignorantiam, & nîscire felicissimam vitam esse censet, se autem ex indignatione, fortunæ suæ cum Trojanâ Hecubâ versum in canem ait, nullarumque virium ad bene dicendum nihil amplius meminisse nisi mordere, oblatrare maledicere, convitiari, atque sic affectum declamationem, hanc scripsisse. Obstupescas meritò ad tantam Viri non indocti λαίποθυμίαν. Consideremus jam errores, quos veluti alias festinans canis cœcos catellos, circa hypotheses Mathematicas egessit. Cynicus hic Philosophus, beatior æstimandus, si cane, quem Dominum suum appell-

appellare solebat, caruisset, de quō vid. Schottus L. i. Phys. Curios. c. 37. p. 190. Paulus Jovius in Elogiis, & Thom. Bang. Cœl. Orient. Exercit. I. p. 61.

§. XXIV.

Quemadmodum Sextus Empiricus Geometriæ, ita H. C. Agrrippa Astronomiæ propter Hypotheses impugnationem suscepit. Uterque perperam intellectis definitionibus Hypothesium, ille subjecti, hic prædicati rationes certas, & necessarias referentium. Maturè autem, nempe cap. XI. Decl. invent. supponit. Mathematicas disciplinas omnes, non nisi in Doctorum suorum, quibus plurima fides datur, opinionibus consistere. Unde plura cap. XXX. quod est de Astronomiâ deducit, quorum summam sequenti ordine damus. Primam rationem contra hypotheses desumit inde, quod à merō hominum beneplacitô dependeant, his verbis. *Ejus* (i.e. Astronomiæ) Magistri audaces profectò homines, & prodigiorum autores impiâ curiositate pro eorum libitô supra humanam sortem fabricant orbes cœlorum, siderum mensuras, motus, figuras, imagines, numeros, concentusq; tanquam nuper de cœlis delapsi, ac in illis aliquandiu versati depingunt. Mera negatio huic affirmationi utpote nullâ probatione suffultæ opponi potest. Audaces non sunt, qui licitô modô philosophantur. Prodigiorum Autores dici nequeunt, qui naturæ convenientia loquuntur. Honestum sciendi desiderium curiositatis impiæ nomen non meretur. Non fabricant pro arbitriô suô orbes cœlestes, siderumque motus, qui nolunt sibi credi aliquid, nisi quod solidis rationibus, & ipso eventu, ac evidenti experientiâ confirmatur. Cœterum quæ statuit unus, vel duo, falsò imputantur omnibus, ut concentus orbium cœlestium à Pythagoræis olim creditus leg. *Arist. L. II. de Cœlō c. 9. t. 52.* Sonus enim cœlestium orbium motu propter aëris defectum formari non potest. Hinc Keplerus pro sonis cœlorum, probat in eis motus proportionibus harmonicis contemporanos in *Epist. Apolog.* quæ extat in *Epit. Astron. Copern.* p. 422. Stellarum figuræ doctrinæ gratiâ civitate suâ donarunt Astronomi, & numerô complexi sunt, nominibus certis à nautis, agricolis, & Poëtis insignitas non Phaethontæo de cœlis lapsi, sed oculorum judiciô inductis. Secundam Objectionem dissensus Astronomorum ipsi suppeditavit. Scribit enim. *De iis ipsis admodum inter se disfidentes,*

dentes, contrarii, & adhuc pugnantes, ut cum Pliniō non dubitem huius artis inconstantiam palam arguere ipsam esse nullam, cum de ejus principiis aliter sentiant Indi, aliter Chaldaeī, aliter Aegyptii &c. Dissensum hunc circa numerum sphærarum, motumque octavi orbis, ac stellarum fixarum prolixè ostendit. Si fallaciarum umbras captare placeret, posset hæc Objectio ad fallaciam à non-causâ ut causâ, item ad fallac. accidentis, nec non ad fallaciam à dicto s. q. ad d. s. referri. Ut consensus non facit semper sententiam veram, ita nec dissensus falsam, quod ostendit Themistius Valenti Imperat. apud Sozom. L. 6. H. E. c. 36. Hoc modò nulla sententia vera foret, quia ferè quælibet contradicentes habet. Dissentient circa principia Astronomi non absoluta, sed respectiva, ex quibus utut oppositis conclusiones fluunt eadem, quod ad dignitatem hypothesis commendandam sufficit. Plinii autoritatem superat artificum in suâ arte testimonium. Verba ejus allegata habentur L. VII. Nat. Hist. c. 49. & contra Astrologiam directa sunt. Circa magis principalia, major reperiatur consensus. vc. Consentunt omnes causam Φανουέρων cœlestium esse motum aliquem, de subjecto autem motū hujus discrepant, cum alii cœlum suis distinctum orbibus, ac sphæris, alii terram moveri statuant. Plura in vita civili occurruunt opinionum divortia. Cuilibet enim velle suum pulchrum est, nec votō unō vivitur. Ipsa tamen vita civilis repudiari nequit. Idem de hypothesisibus judicium ferendum.

### §. XXV.

Ultimâ Objectione sufficientiam hypothesis auferre vult; Restat, inquit, nullum adhuc Astronomum de cœlis descendisse, qui motum aplanes verum, certumque nos docere potuerit. Neque quispiam cœlum ascendit, ut Astronomos erroris convinceret. Imò licet non pedibus corporis, decempedâ tamen mentis omnino ascendunt, iterumque descendunt Astronomi. Objicit motum ♂tis pondum esse cognitum. Atqui motus hujus Planetæ, nec nō Nodorum ejus jam dudum tabulis comprehensus est. Osis ingressum in puncta Aequinoctialia inveniri non posse queritur. Atqui Tycho eundem per aliquot annos accurate observavit vid. L. I. Progymnasm. p. 13. Quomodo ingressus Osis in V, & hoc datō ingressus illius in reliqua signa colligi possit, ostendit Heinlin. in praxibus Astron. Theor.

D

probl.

probl. 7. & 8. Ex antiquis Astronomis æquinoctia verna, & Autumnalia accurate advertit Hipparchus, Ptolemæus, & Albategnius, apparentia quidem, quæ tamen per calculum Astron. converti possunt in vera, prout id jam præstítit inter alios Philip. Landsberg. in *Theſauro Observ. Astron.* p. 34. & sequ. Coeterum diffiteri nemo potest, multarum rerum cognitionem desiderari, ut longitudinis locorum ad quodvis datum tempus, cuius solutionem exhibituro Galli, Angli, & Belgæ splendidum constituerunt præmium. Palma in mediò posita est, rapiat qui potest, ait Varenius in fine Geographiæ. Neque tamen ideò tam duram reprehensionem merentur disciplinæ. Omnisscientia Dei est, scientia hominis. Scitè Lactantius. Neque te omnia scire putas, quod Dei est, neq; omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliiquid medium quod sit hominis i.e. scientia cum ignorantia conjuncta, & temperata L. 3. Inst. c. 6. Quæ dubia videntur, vel temporum injuriâ obliterata redeunt, vel novâ industriâ manifestantur. Veniet tempus, quô ista quæ nunc latent in lucem dies extrahet, & longioris aëri diligentia. Veniet tempus, quô posteri nostri tam aperta nos nescisse mirentur, ait Seneca L. VII. Natur. Quest. c. 25. Nondum definit Cynicus, sed postquam Hypotheses Mathematicorum monstra, & fингentium nugas à corruptâ Philosophiâ, & Poëtarum fabulis derivatas judicasset, de seipso dicit. Tœdet, & paenitet insump̄e olim operæ, cuperemq; omnem illius (Astronomiæ) memoriam expoliare. Ita stomachô, non intellectu philosophatur Agrippa. Dimittimus jam eum concludentes effatô Salviani. Omnia dicta tanti estimantur, quantus ipse qui dixit ex L. I. contra Avarit. p. 9.

### §. XXVI.

Ramūm adhuc titulus Disputationis exhibet, Mathematicum non incelebrem, cui studio annum vectigal 500. librarum è facultatis suis attribuit, teste Lansio in *Omt. contra Galliam*. Eò autem parum certus (juxta anagr.) multò minus verax fuit, quod Hypotheses Astronomicas è mediò sublatas voluerit. Ita enim loquitur L. II. Scholarum Mathem. p. m. 49. Edit. Basil. 1569. Utinam Copernicus in istam Astrologiæ absque Hypothesibus constituenda cogitationem potius incubuisse. Longè enim facilius ei fuisset, Astrologiam astrorum suorum veritati respondentem describere, quam Gigantei ejusdam laboris instar

Instar terram movere , ut ad terræ motum quietas stellas specularemur . Quin potius è tot nobilibus Germanie Scholis exoriare Philosophus idem , ac Mathematicus aliquis , qui positam in mediò sempiternæ laudis palmam assequare . Ac si quis caducæ utilitatis fructus tanta virtutis præmio proponi possit , regiam Lutetia professionem præmium conformata absque hypothesibus Astrologiae tibi spondebo , spensionem banc equidem libentissimè , vel nostræ professionis cessione præstabo . Porrò cum Tycho Quadrantem Astronomicum Augustæ Vindelicorum erexisset , Ramus videndi gratiâ ( Radii Quadrantis erant 14. cubitorum . Molem totam 20 robusti viri vix ex loco in locum transtulerunt ) an. 1570 eò se contulit , auctorique Tychoni fuit , ut postquam suis vigiliis , ac laboribus redegisset in ordinem motus siderum per hypotheses , idem aggredi magnô ausu sine hypotheses exemplô veterum affectaret . Tycho excepit rem factu impossibilem postulari , ( vid. verbâ ejus §. XI. allegata ) imò viribus humanis esse majus , sine hypotheses motus astrorum capere . Illam apud Ægyptios facilitatem fuisse solum in Planetarum Æquatorii , quibus cum aliunde non expeteretur expedita ratio Ephemeridum , scrupulosas , laboriosasque supputationes declinarunt . Confer . Gassend . T. V. Oper. in Vita Tychonis . Sed & ipse Tycho idem recenset L. I. Epist . Astronom . p. 60. ad Rothmannum , additque sequentia . Habet ( Ramus ) plerosque adhuc asseclas , qui idem fieri posse sperant , sed qui rem ipsam neque intelligunt , neque unquam in effectum sunt deducturi .

### §. XXVII.

Videmus desideratum Rami ex ἡ ερθολῆ τῆς ἀνεβείας profectum , sic ut reliqua ejus studia , exceptum fuisse . Is nunquam est magnus , cui Ramus est magnus ait Lipf. Cent. I. Miscell. Epist. 89. Vossius ita censet . Ramus dum arborem totam pollicetur , ramum tantummodo exhibet de Nat. Log. e. XII. §. 7. Si quidpiam aliud , certè postulatum hoc juxta tritum dicerium , caret posteriore Petri . Potuisset ipsi opponi Græcorum illud : Ἐπὶ Πετρῶν σπείρεις , ψάμυχος ἀργεῖς . Audiamus rationes ejus . Dicit l. c. Hypotheses esse commenti genus in cœteris artibus insolens , atque inauditum . Contrarium probavimus §. IX . Putat observationibus solis posse esse contentos Astronomos . Atqui & hæ certis nituntur principiis . Et quomodo observationum ope prædicti possint eclipses , novilunia , plenilunia &c . Conspiranti cum Ty-



chone consensu docent omnes, opus esse industriâ humanâ majus sine  
hypothesibus vel discere, vel docere Astronomiam, quibus destitutus

— Ceratis ope Dædaleâ

Nititur pennis, vitro daturus

Horat. L. IV. od. 2.

Nomina Ponto.

Ne autem ipso soli risisse videatur Apollo, antiquitatis suffragia pro se  
militare censet Ramus. Sed & hæ sunt nubes æruginæ. Non fœneratur  
sibi ex caligine lucem Veritas. Vetustatem jactat, quò die, quò Consu-  
le hæc acciderint, dicere non audet. Quæstio ergo movetur de primô  
Hypothesium Astronom. Autore, Peucerus in Catalogô Astrono-  
morum præmisso Doctrinæ de Circulis cœlestibus Proclum nominat.  
Vixit hic Sec. V. post Christum natum. Antiquiora autem quærenda  
sunt primordia. Ramus l. c. ut & alii apud Reyher. Tract. de Mundo  
c. 2. Eudoxo Cnidio Platonis coævo inventionem earum assignant.  
Claruit Olymp. 103. juxta Laert. L. 8. p. 625. Et id quidem facile lar-  
gimur, Eudoxum primò hypothesin Eccentricorum, & Concentrico-  
rum invenisse. Hoc enim expressè testatur Simplic. Commentar. 46. in  
L. 2. de Cælo f. m. 79. b. Edit. Venet. 1540. additque, Aristoteli putanti  
omnia cœlestia oportere moveri circa medium universi, placuisse sup-  
positiones de Concentricis, displicuisse Eccentricos. An autem ante  
eum nullæ in usu fuerint hypotheses, probare debebant affirmantes.  
Non movemus hic controversiam, Ægyptiine à Chaldæis, an hi ab illis  
Astronomiæ cognitionem häuserint, hoc tamen afferere non dubita-  
mus, hypotheses unà cum ipso efflorescentis Astronomiæ studiô natas  
esse. Hinc Thales Milesius primus apud Græcos prædixit Eclipsin Ois  
teste Laertio L. 1. quod sine certis hypothesibus præstare non potuit.  
Has autem ab aliis longò jam usu frequentatas hauiisse eum verisimile  
est. Unde Nicolaus Raimarus Ursus Tract. de Hypothes. Astron.  
(quas tamē non ut principia demonstrandi, sed ut fictiones Poeticas  
describit) Lit. C. 2. credibile esse putat, aut ipsum Thaletem, aut Py-  
thagoram Hypotheses primum introduxisse, vel etiam ante ipsos fuisse  
notas. Floruit Thales plusquam 200. annis ante Eudoxum. Unum hoc,  
idque satis apertum pro antiquitate hypothesis Astronomicarum  
contra Ramum documentum attulisse nunc sufficiat.

Quicquid novellum surgit, olim non fuit  
canit Prudentius Hymn. X. Peristeph. v. 409. Nos quoque receptui ca-  
nimus, & solutis jam præcipuis adversæ partis objectionibus,  
finem Disputat. nostræ imponimus.

SOLI DEO GLORIA.



## COROLLARIA.

I. Longissima dies sub Polô Arcticô plus quam  
190 Horis(imò si *Physicè* spectentur multò pluribus)  
longior est die longissimâ sub Polô Antarcticô.  
Nox autem longissima brevior est,totidem horis.  
Unde cum granô salis accipi debet,quando cùm a-  
pud Veteres, tum apud Neotericos scriptum legi-  
mus,Terras Polis subjacentes Noctem, diemque 6  
Mensibus habere definitam.

II. Hoc autem in dubium vocari nequit,incolis sub  
Æquatore viventibus utrumque Polum Horizon-  
ti incumbere,quicquid etiam navigantium quorun-  
dam observationes in contrarium afferant.

III. Χαλυβόδειξ infirmum præbet pro situ Meri-  
diani primi argumentum vid. *Ricciol. L. VIII.*  
*Geogr. c. XI. & L. IX. c. II.*

IV. Exemplum juxta Arist. *L. I. Rhet. c. II.* habet  
se ut pars ad partem,& ut simile,ad simile. Ramus  
*L. VIII. Schol. Dial.* discrimen hoc īeptum vocat,  
quia exemplum aliquando ex dissimili desumitur,ut  
Camillus Rempublicam restituit, Cæsar oppressit.  
Nihil autem objectione hâc efficit.

V. De unâ eâdemq; Propositione,unô eôdemq;  
tempore,in unô, eôdemq; intellectu nequit esse fi-  
des,scientia & opinio.

VI. Prædicabile rectè dici potest, quod tantum  
de unô prædicatur.

VII.

VII. Proprietates Substantiæ ab Arist. L. Categ.  
c. V. assignatæ immeritò Contradictionis accusan-  
tur.

VIII. A Privatione ad habitum non datur re-  
gressus.

IX. Chrysippus omne verbum naturâ suâ esse æ-  
quivocum dixit. Diodorus nullum ambiguum es-  
se contendit, teste *Gellio L. XI. Noct. Attic. c. XII.*  
Uterque erravit.

X. Actiones mixtæ non tam referendæ sunt ad  
invitas, quâm ad spontaneas.

XI. Non assentimur Grotio, qui L. II. de J. B. & Pa-  
cis c. XIX. §. 5. Hebræos secutus licitam censet esse  
 $\alphaὐτοχείαν$ , si quis putet se imposterum in pro-  
brum Dei esse victurum.

XII. Frustra vitii arguuntur Ethici, quando do-  
ctrinam de Virtutibus Intellectualibus tradunt.

XIII. Non rectè determinatur status naturæ hu-  
manæ ( $\alpha$ ) negatione naturalis inclinationis ad so-  
ciatem ( $\beta$ ) bellô omnium contra omnes ( $\gamma$ ) ju-  
re omnium in omnia ( $\delta$ ) cupiditate, & potentia,  
non autem sanâ ratione.

XIV. Datur Respublica mixta, salvâ manente  
formâ rectâ.

F I N I S.

00 A 6.406

ULB Halle  
002 916 622

3



Se

Retro V

VDR



**Farkarte #13**

B.I.G.  
Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



DISSE<sup>15</sup>  
TATIO ACADEMICA,  
*DE*  
**HYPOTHESESIBUS**  
**MATHEMATICIS,**  
earum necessitatem  
contra Objectiones  
Sexti Empirici, Henrici Cornelii Agrippæ,  
Petri Rami, aliorumque  
ostendens.  
*Quam*  
AUXILIANTE DIVINI NUMINIS GRATIA,  
imperatō consensu  
**AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM**  
*ORDINIS*  
**IN ILLUSTRI SALANA**  
Publico Eruditorum Examini submitte  
PRÆSES  
**M. MICHAEL HOYNOVIVS,**  
Milcā Prussus.  
RESPONDENTE  
**SAMUELE Susemihl/**  
Meklenburgensi.  
Ad d. Febr. Anni d<sup>o</sup> LXXXIV.  
Jenæ, Typis Joh. Jacobi Bauhoferi.